

1.
2.
3.
4.
5.
6.



1778.

1. Brücknerus, Francus : De illis, qui carnaliter se obligare possunt.
2. Feuerbach, Francus Anselmus : An et quatenus privilegia miserabilium personarum pauperibus denegari possint?
3. Gombel, Henricus Tacitus : Senectus procepta de austragis praesertim de causis, in quibus illis ~~locus~~ locus sit.
4. Hoepfner, Ludw. Fridericus, Ord. Tit. . . . ex de. Carus : Sollemnia in angustia . . . Helvici Bernhardi Fäup iudicis, de lege Laetoria et cura minorum quaedam praefatus
5. Lamprecht, Paulus Jacubus : Meritis et arb. J. Tit. 2. lib. II Statutorum Lubecensium.
6. Harck, Georgius Christophorus : De summa appellabilis in referendo ad summam imperii tribunalum.

provocationibus vite aestimanda

1779.

1. Albrecht, Eckhardus Fridericus: De mercedis retributione
ab sterilitatem aestimanda.
2. Frech, Joannes Sebastianus: Utrum forensis de
bonis suis collectas magistratus domicilii
pendere obligetur?
3. Haepfer, Ludvig Julius Friedrich: Warum sind die
Menschenpflichten entweder vollkommen oder unvoll-
kommen? und welche Pflichten gehören zu der
ersten, welche zu der letzten Gattung?
4. Koch, Dr. Christoph: Programm de sacris reli-
giosis internis et externis, quo solemnia in au-
gustalis... Caspar Sabus Groening... indicit

1780.

1. Gelzer, Christianus Hartmannus Samuel, Ord. jur. Decanus:
Davidis Reichard, Henrici Ehrenfried Klotz, nec non
Francis Georgii Grambs. . . sollemnia inaug. indica-
tura S. R. I. civitatis Francofurtensae privilegium:
De filiabus neptibusque libere nuptum collocandis
veteris aevi monumentis illustrat
2. Gelzer, Christianus Hartmannus, Ord. juris Dei Decanus:
Andree Josephi Schmaubert et Francisci Fritzschei Praeget
. . . sollemnia inauguralia indicit, de iudiciorum
equestrium habita abque ratione erga austriacos
et supremi imperii Tribunalia pauca praefat-
tus.
3. Grambs, Francus Georgius: De habita liberos cum
S. R. I. civitatum imprimis Liborae S. R. I. reipabli-
cae Annon. Francofurtensis erga imperii Tribunalia

4. Klotzins, Heinricus Threafriedus: Utrum ex reddi-
tione unius ex pluribus chirographis super meo
eodemque debito contractis obligationem esse remissionem
colligi possit?
5. Kuit, Dr. Christoph: De praescriptione restoratione
in integrum
6. Pregel, Ioannes Fredericus: De testamento rupto
et reformat. Francof. p. IV. lib. 7
7. Sermäntert, Andreas Iosephus: De qualitate consilial
placiti regii in imperio Romano-Germanico
et votum consilii imp. Galici.

1780, 2

12

23

ORDINIS IVRIDICI DECANVS

CHRISTIANVS HARTMANNVS
SAMVEL GATZERT D.

CANDIDATORVM PRAENOBILISSIMORVM

ANDRAEAE IOSEPHI SCHNAVBERT
BINGENSIS

ET

IOANNIS FRIDERICI PREGEL
FRANCOFVRTANI

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

INDICIT

DE

IVDICIORVM EQVESTRIVM HABITV
ATQVE RATIONE

ERGA AVSTRAEGAS ET SVPREMA IMPERII
TRIBVNALIA

PAVCA PRAEFATVS.



G I E S A E

typis Braunianis

C1818CCLXXX.



GEORGE HERBERT TOWNSEND
GIRTS HAYNS TARTMANNS
JANUARI GATNETT B.

INSTITUTION OF THE UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE LIBRARY

1871

1871

1871

1871

1871


1871

1871

1871

1871





De habitu ac ratione Iudiciorum Equestrium erga Au-
 straeas & suprema Imperii tribunalia, grauiſſimi mo-
 menti est quaestio praeter b. TAFINGERVM (a), nec ple-
 ne tamen in eiusdem examine nec distincte versatum, a
 nemine, quod sciam, ex proposito tractata.

Nempe constat, plerasque (b) Societates nobilium I R. G.
 immediatorum (Pagos, Cantons, dicimus) de iurisdictione in
 sua cuiusque membra exercenda iam dudum inter se conuenisse,
 peculiaribus iudiciis constitutis, in quibus a nobilibus ipsis sub
 Directoris praesidio, variorum ex corpore equestri adſidentium
 consiliariorum adiumento aliisque personis iudicialibus adhibitis,
 ius solet dici sub figura quidem primae Instantiae, *der Ritterschaft-
 lichen Orts - Instanz*. Non autem nisi ex conuentione quum sint
 haec iudicia, TEXTORI (c) omnino adſentiendum erit, non
 competere ea rato, nisi omnia Pagi membra conſenserint; lar-
 a 2 gien-

(a) in Pr. de Directoriorum Equestrium potestate iudiciaria superiorique
ruela. Tub. 1765.

(b) Sic e. gr. in Pago Franconicae nobilitatis *Rhoen - Werrano* obti-
 net prima instantia equestris: in *Odenwaldensi* vero plane non
 est in usu. De Sueuiae pago *ad Nicarum Siluamque nigram* usum
 eius testatur TAFINGERV'S l. c. §. 3. negat autem de *Kocharensi*.


(c) in *Lur. Publ. Star. Imp. tit. 15. w. 107. §4.*



giendum etiam KNIPSCHILDIO (d), directorium equestre absolute consideratum nullam plane sibi attribuere posse iurisdictionem ac statuendum cum SENCKENBERGIO (e), totam hanc iuris dicundi facultatem pendere a pactis ab Imperatore postea pro more confirmandis nec ab omnibus Directoriis vel hodie eam possideri; Imperatorem vero Directorium eiusque Assesores, ex ritu a maioribus tradito, ad Iuris Romani & Canonum scita, Commissariorum suorum loco aestimare, si iurisdictione polleant. Iudicii equestris Franconici formam *aus des Heil. Roem. Reichs ohnmittelbar freyer Ritterschaft der sechs Ort in Francken erneuert - vermehrt - und confirmirten Ordnungen*, quibus, anno dein 1720. typis euulgatis, confirmatio Caesarea 1718. accessit, ante oculos ponam, quatenus pertinet ad hunc locum. Ita autem habet Tit. XIII. pag. 37. *Sollen die adeliche Mitglieder einander vor Churfürstlichen oder andern Gerichten nicht fürnehmen oder beklagen — sondern sich deren in des Heil. Roem. Reichs Abschieden und Ordnungen verschiedener Wege Rechtsens gebrauchen oder auch ihre jedesmalige Angelegenheiten bey eines jedes Orts Hauptmann und Raethen anbringen und nach der bey denen Ritter Cantonen hergebrachten ersten Instanz auch beliebt und publicirten gült- und rechtlichen Austrags - Ordnungen und andern Statuten actiue & passiuè von einheimischen oder auswaertigen, ohne Unterschied, allda Recht nehmen und geben, oder, wenn es der Sachen Beschaffenheit nach Ausweis dieser Ordnung ersforderte, vor dem verordneten gesammten Ritter Rath, oder einstweilen dem jedesmaligen Directorio klagend vorbringen, wvelcher — die Sachen zu einem ordentlichen oder summarischen Proceß, nach Anleitung der beschriebenen Kayserl. Rechten, oder, wie sie es zwischen ihnen hergebracht, veranlassen und definitiue entscheiden, dabey es auch allerdings und endlichen, es*

(d) de Nobilit. Lib. 3. c. 9. nr. 14. licet contrarium statuat STRUVIUS in Corp. Iur. publ. c. 32. §. 17.

(e) in Florib. sparsis ad Ius Austragiar. §. 18.



zuere dann, daß ein oder der ander Theil sich von solcher Ritter-
schaft Urtheil beschwehrt befunden und an den Kayserl. Reichshof-
rath oder Cammer - Gericht, so ihnen in alle Wege bevorstehet, ge-
ziemender maßen appellirt haette, sein Verbleiben haben und exequirt
werden solle. Antequam vero ulterius progrediar, primo omnium
monendum est, Ordinationes Equestres in Circulis reliquis quo-
ad ius primae instantiae nobilium inter semet inuicem eiusdem
fere esse argumenti cum Franconica. Iam ex loco proposito
sequentia liceat corollaria deriuare :

I. Iudicium equestre vicem primae Instantiae subit tantum-
modo in causis equitum inter semet inuicem (f), siue vtraque
pars eidem siue alii Pago adscripta alterutra sit. Docent id,
praeter totum Ordinationis contextum, verba: sollen die adeliche
Mitglieder einander &c. &c. active & passive von einheimischen
oder auswärtigen, ohne Unterschied, allda Recht nehmen und ge-
ben. Latere hic videtur, nisi me fallunt omnia, vestigium anti-
quissimi iuris Germanici, parem de pari solum posse iudi-
care (g).

II. Si itaque persona iure Austragarum praedita primae
classis, videlicet Elector, Princeps aut principali dignitate con-
a 3 deco-

(f) Ordinationes Pagorum ipsae adhuc luculentius dicta probant.
Sic e. gr. in der Rboen - Werrischen Proceß - und Austrags - Ord-
nung Tir. II. sequentem in modum dispositum est: so sollen alle
und jegliche Zusprüch, so ein oder anderes adeliches Mitglied ermeld-
ten Ors an den andern zu haben vermeynet, es seyen gleich dieselbe
personal oder real, Kraft dieses Ritterlichen Austrags vor Hauptmann
und Raerben gerechtfertigt und euschieden werden. Es seyen denn
dieselbe der sonderbaren Natur und Eigenschaft, als da über Lehen-
Gürber &c. &c. Causae itaque peculiaris naturae & fori hic
exulant.

(g) de quo pluribus agit S. V. DREYERVS in der Sammlung ver-
mischter Abhandlungen P. IIL. Nr. 1. §. 2. p. 1152. sq.



decoratus (*Fürstenmaefiger*) equitem immediatum conuenit: seruanda ab actore est regula in *O. C. P. II. Tit. 3. §. 2. & C. O. C. eod.* determinata, vt aut a tribus principibus a reo nominatis vnum eligat, aut petat ab Imperatore Commissionem Austraegalem.

III. Si persona iure Austraegarum praedita secundae classis, scilicet Praelatus aut Comes agit contra equitem immediatum: eadem via seruanda est. Ordinatio Cam. enim de aequali reo i. e. eiusdem classis idem statuit. *O. C. P. II. Tit. 5. §. 12. C. O. C. eod. pr.*

IV. Si nobilis nobilem conuenire vult, gaudet actor electione, an coram Austraegis (*b*) contra eum experiri, an vero coram iudicio equestri aduersus eundem agere malit. Verba Ordinationis Franconicae manifeste haec produnt: *sollen die adeliche Mirglieder — sich deren in des Heil. Roem. Reichs Abschieden und Ordnungen verschener Wege Rechtens gebrauchen oder auch ihre Angelegenheiten bey eines jedes Orts Hauptmann und Raethen anbringen. Etenim die in des Heil. Roem. Reichs Abschieden und Ordnungen verschene Wege Rechtens intuitu nobilium immediatorum*

(*b*) De legalibus me volo intellectum. Conventionalium enim nobilitatis immediatae a Caesare confirmatorum ea est auctoritas, vt suspendatur iurisdictio ordinariorum iudicum. Cessat tunc & Austraegarum legalium & iudicii equestris vigor, adeo, vt si quis equitum in hoc vel etiam summis imperii tribunalibus conueniatur, exceptione fori declinatoria se tueri & vt causa ad Austraegas conventionales remittatur, petere possit eaque exceptio in iupremis imperii Dicasteriis attendi solet. Comprobant id exempla, quae collegit HEITMANNVS in *Diff. de Austraegis conuenionalibus Ganerbiarum nobilitat. immediat. §. 22.* Regulam, Austraegas legales per conventionales excludi, hic locum non habere, vult quidem HOFMANNVS *de foro competente nobilium imperii immediatorum §. 10.* sed parum recte explicasse videtur Ordinationis Franconicae Equestris functionem.


rum erga semet inuicem non possunt non intelligi de fori Au-
 straegalis beneficio. Nec id alibi per iudicium equestre excludi,
 clarissime docet *des Heil Roem. Reichs frey ohnmittelbarer Rit-
 verschaft im Udern - Elsaß adeliche Ritter - Ordnung, Priuilegia
 und Kayserliche Rescripta* (1653. 4.) §. 12. vbi post longam de
 prima instantia membrorum equestrium dispositionem, sequentia
 in fine leguntur adiecta: *doch vverden hierdurch keinem Ritter Glied,
 so sich der ordentlichen in des Heil. Reichs Abschied und Sazzun-
 gen versehenen Austraege und andern Rechdens gegen seine Wider-
 part zu gebrauchen beliebt, solche Weg abgeschnitten, sondern sol-
 len solche per expressum vorbehalten und offen seyn.* Caeterum per se
 patet, quae de electione diximus, valere tantum in locis seu
 Pagis, qui ius primae instantiae exercent. In iis enim, qui il-
 la destituuntur, per Austraegas Ordinationis solum causae deci-
 dendae veniunt ac frequentes inprimis sunt, tradente HOF-
 MANNO c. 1., Commissiones Austraegales.

V. Si actor nobilis Austraegas eligit contra reum nobilem,
 sequenda est eadem via sub nr. III. indicata & a sententia Au-
 straegali appellandum est deinde ad Imperii suprema tribunalia.


VI. Si eligit Instantiam equestrem, a sententia eiusdem pa-
 tet prouocatio similiter ad eadem. Singularis enim admodum
 & sine alio exemplo est praerogatiua superioris instantiae equestris,
für aller Viertel gemeine und unpartheyische Ausschuß und Raeth,
 qua gaudere iubentur immediati Sueviae nobiles in *Ordinatione
 Equestri Sueuica* de 1561. (i). Sed an vsu adhuc hodie com-
 probetur, nescio.

VII. Ergo forum nobilium austraegale & equestre sibimet
 non sunt subordinata & ab vno ad alterum nequit prouocari.


Surro-
 (i) in BVRGERMEISTERI *Reichsritterschaftlichen Corpore Iuris P.
 II. pag. 205. sq.*



Surrogari potest vnum in locum alterius, ita, vt concurrant quidem ambo, sed electo vno cesset alterum. Vtrumque vicem tantum primae instantiae subit nec plurium instar considerari possunt, quae se habeant tamquam inferior erga superiorem. Eominus etiam mirandum foret, si forte ex statuto huius illiusue pagi alicubi sublatis essent penitus Austragae Ordinationis, solo iudicio equestri retento, tamquam prima instantia, quo magis origo horum iudiciorum equestrium omnis naturam eorum Austragalem prodit. Interim, vt sumptibus parcat, iis in locis, in quibus praeter Austragas vsu recepta quoque est prima instantia, iudicii equestris viam commodiorem plerumque praeferris solere a partibus Austragarum anfractu, testatur experientia. Nec dissimulandum est, praeteriti iudicii equestris ac fori nobilium Austragalibus effectus admodum solere esse diuersos in summis Imperii tribunalibus. Horum enim iurisdictione immediate atque in prima statim instantia locum non habente, si quis neglecto iudicio equestri causam ad Camerae Senatusue Aulici Imperialis Augustissimum Dicastrium defert, remittendae causae periculo certissimo se exponit, si reus primae instantiae exceptione se tuetur aut de illius vsu in pago, cuius membris equestribus reus annumeratur, Celsissimo Iudici legitime iam constat. Interuenire adeo in eiusmodi casu Directoria debent ex legum equestrium praescripto. Ita hanc in rem sancit *c. gr. die Rhoen - Werrische Proceß - und Austrags - Ordnung* loc. cit. *So dann und zum Fall sich sonst eignen sollte, daß etwa in einiger Irrung und Strittigkeit ein Theil das andere ohne erhebliche Ursachen, und da ihm doch bey dieser Ritterschaftlichen ersten Instanz zu gebührendem Recht verhoffen worden moechte, dessen ungeachtet sobald und immediate an das Kayserl. Cammer - Gericht zu ziehen — gedachte, sollen Hauptmann und Raethe solche der Gebühr abfordern und zu Güt - oder rechtlichen Entscheidung vor diesem Austrag anzuweisen.* Praxin ipsam docet simulque totam de prima



prima instantia equestri causam egregie illustrat libellus rarissime obuius, cuius inscriptio est: *Abdruck der von Seiten der ohnmittelbaren freyen Reichs-Ritterschaft Orths Rhoen - Werra die 10. Sept. 1723. exhibirten hoechst gemüßigten unterthaenigsten Interuention und Bitte pro remitrenda causa ad forum primae instantiae equestre ad causam von Metternicht zur Gracht contra von und zu der Tann & Consort. Citat. ad vid. se immitti &c. fol.* Iam autem e contrario, prima instantia forte in pago, cuius membrum reus est, exule, si quis actor nobilis in causa coram Austraegis disceptanda, forum eorum praetergressus, reum nobilem protinus sine medio in alterutro supremo Imperii iudicio in ius vocare auit, numquam metuenda est ex officio, vt aiunt, eiusdem ad Austraegas legales remissio, quamuis haec merito speranda esse videatur ob perspicuam Capitulationis Caesareae art. XVIII. dispositionem, ceu Austraegalem instantiam Statuum Imperii aequae ac Nobilium immediatorum pari plane modo in tutum collocantem. Ex obseruantia hic statuitur inter Statuum Imperii Austraegas atque illos, quibus Nobiles gaudent citra mediam personam Imperio parentes, discrimen quam maxime memorabile, quod si nescias, numquam tibi suppetet ratio, qui fieri possit, vt saepissime in causis nobilium immediatorum inter se decernantur Rescripta & Mandata C. C., quum tamen vulgatissima sit regula, contra gaudentem Austraegis ista per se plane non habere posse locum, nisi iurisdictione Archidicasterii simul ex alio capite fundetur e. gr. ob causarum continentiam. Veritatem huius obseruationis, quam frustra alibi quaesueris, ipsa Celsissimi Senatus humanitas me docuit, coram quo nuper pro Assessoratu ex Actis iudicialibus retuli. Certe Austraegas Statuum & Nobilium non vbique & per omnia pari iure esse censendas, vel apparere videtur ex I. P. art. V. §. 56., in quo solummodo de Statuum Imperii foro Austraegali illibato seruando sermo est, nec consueta alias Parenthesis: *comprehensa libera Impe-*




Imperii Nobilitate, adiecta legitur, prouti a sagacioris iudicii vi-
ris iam alibi est monitum (k).

VIII. Si denique nobilis ab inferiore mediatoue conueni-
tur, plane cessat ius Auftraegarum; cessare etiam deberet prima
instantia equestris, quippe in fauorem equitum inter se solum-
modo introducta. Ita de iure; age nunc videamus, quid ser-
uetur praxi. Iudicium Imperiale aulicum primam equestrem
instantiam agnoscere causamque illuc remittere solere, si nobilis
immediatus a mediato ciue & subdito, siue proprio, etiam offi-
ciali, siue alieno conueniatur, exemplis variis probauit b. TA-
FINGERVS l. c. §. 5. 6. Quod ad Celsissimae Camerae Impe-
rialis vsum hac in re attinet, affirmat quidem BOCKENIVS (l),
quod inter caeteros nobiles immediatos ii tractus Rheni supe-
rioris, quorum est Moguntiae; medii, quorum Friedbergae in
Castro, & inferioris, quorum Confluentiae est Directorium, iis
in locis peculiare habeant iudicium equestre, in quo sepositis
Auftraegis quisque nobilis immediatus, siue his eidem moueatur
ab alio nobili immediato, siue a quocumque priuato in prima in-
stantia conueniatur, a quo demum appelletur ad Consilium Im-
periale aulicum vel Cameram; quam fori praerogatiuam iis ex
Priuilegijs competere, colligere sit ex Decreto Camerae 8. Maii
1686. lato: *noch zur Zeit abgeschlagen, sondern woffern Suppli-
cant, daß mit Vorbeygehung der Kayserl. Burg Friedberg Beklagter al-
hier in Camera besprochen vverden kann, bescheinen wird, solle fer-*
b 2 ner

(k) Vid. Prüfung der ohnmaßgeblichen Vorschlaege die Visitation und die
Verbestierung des Justiz - Wesens am K. R. C. G. dann dessen Sta-
tutation betreffend. ad Sect II. §. 43. nr. 4. p. 68.

(l) In Lection. BLVM. Tit. 27. nr. 149. p. 191. Ast notes velim, fo-
ri priuilegium, quod hoc loco Nobilitatis Rhenanae membris in
vniuersum tribuit BOCKENIVS quoad actores mediatos, id
ipsum ab eodem nr. 56. pag. 169. tantum vindicari nobilitati
tractus Rheni Castro Friedbergico, vt aiunt, incorporatae.




ner ergeben, *was Recht ist*. At e contrario obseruat b. L. B. a CRAMER (m) instantias equestres nouiter esse introductas earundemque introductionem ad noticiam Camerae Imperialis a Caesare non deductam, neque priuilegia ibi insinuata, atque adeo aliter, quam instantiae Austraegales, considerari non posse, consequenter in casu nobilis ab inferiori coram iudicio equestri conuenti non esse, quod Camera exceptionem fori ea propter obmotam attendat; Celsissimum Senatum proinde in causa *Ganzhornischer Erben* contra *von Ebersberg* 1745. iudicasse, *daß das a Bockenio angeführte singulare präiudicium gegen den expressum textum Ord. Cam. und die sonstige Obseruanz summi huius iudicii mit genugsamen Fundament nicht allegirt werden köenne*, ideoque reieicisse exceptionem fori primae instantiae & litis in iudicio equestri iam dudum coeptae & pendentis, a reo oppositam. Alia quoque exempla recentioris temporis, quae nouimus, sat abunde monstrant, Camera Imperialem, si actor mediata persona est, hodie parum agnoscere fori equestris praerogatiuam, quidquid etiam de praxi antiquiori in contrarium asseratur (n).

b 2

IX.

(m) in *Obseru. Iur. Viuu. T. I. O. 212*. Caeterum auctoris adfirmatio, priuilegia primae nobilium instantiae non fuisse insinuata Camerae, ex parte tantum vera esse videtur. Ea enim saltim, quibus Franconica nobilitas instructa est, rite ibidem fuisse exhibita, solenni testimonio Camerali firmatur ad 20. Dec. 1719. exarato, quod continetur in libello supra nominato, *Abdruck &c. in app. Nr. I. p. 6*. sed cardo rei semper redire videtur ad hoc vnicum momentum, priuilegia ista de nobilibus immediatis inter se, minime verò de actore mediato priuatoe disparis conditionis contra reum nobilem immediatum, mentionem tantum iniicere.

(n) Aliud exemplum causae actoris mediati a Camera ad iudicium equestre *Rhoen - Werra* remissae in *cit. Abdruck &c. in app. Nr. 6. p. 14*. sistitur per Sententiam d. 29. Apr. 1720. latam in *Sachen vweyland Johann Rauls hinterlassener Erben armer Paribeyen Klæger, vvider N. N. von der Thaus Vormiander Beklage*.



IX. Singulis Equitibus intuitu subditorum suorum iurisdictionis potestasque iudicia habendi iure proprio competit. Hinc ab horum iudiciorum sententiis appellationes a subdito alioque interponendae non ad iudicia illa equestria, seu primae instantiae inter nobiles tantum vicem subeuntia, sed immediate ad suprema Imperii tribunalia pertinent. Malo tamen CRAMERII (o) quam meis verbis thesin hanc fulcire, ab eodem non tantum sed a TAFINGERO quoque c. 1. §. 8. 9. praedictis firmatam. *Corpus seu Consistorium equestre, alias sic dictum Directorium, inquit, iure recipiendi appellationes a subditis, aut etiam cognoscendi super nullitaribus pollere, neque ex Ordinationibus equestribus, neque ex iure publico neque historia Imperii probari potest. Inter Commembra tantum conventio inita, ut cuius Directoris prore nata in causis ipsorum realibus vel personalibus, quasi Austraeis conventionalibus, minime vero in causis subditorum cognoscendi, multo minus appellationes recipiendi, facultas competit (p).*

Sed plura non capit angustia cancellorum scriptionis huius academicae. Proponenda enim nunc est causa, cui haec qualicumque praefati sumus. Ambiunt nempe summos in iure utroque honores duo Candidati dignissimi, quorum primus

ANDREAS IOSEPHVS SCHNAVBERT

coram Ordine nostro de vitae suae studiorumque rationibus ita exposuit:

Ego

(o) cit. T. I. O. 230. Addi meretur b. de LVDOLF in *Supplem. variar. Obseruar. for. Obs.* 391. p. 397.


(p) Lenissimi ponderis sunt argumenta, quibus secundam nobilitatis instantiam probare annititur GAYLING ab ALTHEIM in *rr. de comensibus deputarorum nobilitatis vulgo den Ausschussraegen* c. 6. p. 18.

Ego ANDREAS IOSEPHVS SCHNAVBERT natus sum a. millesimo septingentesimo quinquagesimo Bingae infra Moguntiam, patre IOANNE SCHNAVBERT, viatore & mercatore vini, & matre ANNA MARIA BALTENWEG. Parentes suavissimi nihil magis sibi curae cordique duxerunt, quam ut a tenera statim aetate primis religionis & eruditionis elementis, tum in scholis publicis tum a priuatis domi praeceptoribus imbuerer. Litteras humaniores in publico, quod Bingae floret, Gymnasio per quinquennium edoctus & ad altiora studia praeparatus, Moguntiae per biennium Philosophiae & Scientiis historicis operam dedi, ibique a R. P. Zweifel tum S. I. a. millesimo septingentesimo sexagesimo septimo ceu vnus inter primos in Philosophiae Magistrum promotus sum. In Seminario dein Archiepiscopali Moguntino, in quo per quinquennium tanquam alumnus ad curam animarum praeparandus degi, quatuor annis Theologiae, iuri canonico & historiae ecclesiasticae studui, habitisque pro prima & secunda laurea theologica, disputationibus, in Theologiae Baccalaureum promorus, ex vniuersa demum Theologia disputavi. Quo facto per biennium quoque iurisprudentiae omnigena collegia frequentabam. Puriora Sacra Giesae a. millesimo septingentesimo septuagesimo sexto amplexus per quinque semestria Magnificum almae huius academiae Procancelarium KOCHIVM, illustresque Viros & Antecessores GATZERTVM, HOEPFNERVM, IAVPIVM, non solum Praeceptores, sed etiam Patronos atque Fautores, ad cineres usque summe a me colendos, habui. Non interea solum

temporis, Institutionum, Pandectarum, iuris canonici & feudalis repetitoriis, sed & exacto vitae academicae curriculo tum iisdem continuatis, tum datis in iure publico & germanico priuato priuatissimis instructionibus, & mihi, & iis, qui operam meam expetiuerant, huius academiae studiis prodesse adlaboraui. Ad maiora nunc eritens Illustrem Antecessorum Ordinem, ut summos in iure honores mihi impertiatur, oro rogoque.


Alter sequentem in modum de se loquitur:

Ego IOANNES FRIDERICVS PREGEL natus sum Francofurti ad Moenum, Ann. 1756. d. 23. Ianuarii; patre DOMINICO PREGEL, qui Orphanotropheo Francofurtano praefuit, & matre ANNA ELISABETHA ex gente PETSCHIA, quae mihi in fasciis adhuc praematuro morte abrepta est. Parens meus superstes a tenera aetate & salutarem religionem, & elementa litterarum Praeceptores domesticos me docere curauit, simulque crescentibus annis Gymnasia, quod Francofurti floret, Praeceptoribus mandauit, ubi quartam ac tertiam classem percurri. Eo tempore Deo ter Optimo placuit, ut pater meus terram relinqueret, in cuius locum cum vix undecimum annum absolui, prouidentia diuina Tutores me venerari iussit, inter quos praesertim Consul-tissimum Dominum D. IOANNEM IUSTVM TEXTOR Senatorem Amplissimum compello; cuius indefessam curam ac amorem erga me, hoc loco non satis pro merito prae-dica-



dicare possum. Tum scholas patrias cum Gymnasio, quod Idstei-
nae viget, mutavi, indeque reuersus aliquamdiu in patria
commoratus sum, ubi ex ore meritissimi Rectoris PVRMAN-
NI, beati BRENDÉLII Cl. M. RAMBACHII, SCHERBII
scientias, quae me ad praelectiones academicas praeparau-
erunt; didici. Academia Tubingensis fuit, quam salutavi,
ibique beato Illustri TAFINGERO fascēs academicos tenente
in numerum ciuium academicorum receptus sum. Ibi Vi-
ros Excellentissimos BOECKIUM, PLOVQVETVM in Philoso-
phicis, Consultissimum ac Illustrē HOFACKERVVM in In-
stitutionibus Iuris ciuili & digestis, Perillustrē GODOFRE-
DVM DANIELEM HOFFMANNVM in Iure publico, Ex-
cellentissimum IOANNEM DANIELEM HOFFMANN in
Historia Imperii R. G. Consultissimos & Illustrēs Viros
KAPPEIUM & MAIERVM in Iure Germanico & canonico,
& Experientissimum Medicinae Professore PLOVQVETVM
in Iurisprudētia medica, Praeceptores veneror. Elapso
triennio Gießam migraui, ubi Magnif. Academiae Procan-
cellarii KOCHII Praelectionibus in Ius criminale & canoni-
cum interfui & Illustris IAUPIVS scholas practicas mihi
aperuit. Nunc cum curriculum meum Academicum finire
opus est, inclytum ac Amplissimum Iureconsultorum ordinem;
vt summos in Iure honores mihi concedat, obseruantissime
oro rogoque.

Vterque egregie stetit in tentamine, vt lubentes ipsis ape-
ruerimus aditum ad Cathedram publicam, ex qua prior Dissertatio-



tationem de Qualitate Comitali Placiti Regii in Imperio Romano - Germanico ad Vorum Consilii Imp. Aulici d. d. 6. Nov. 1773. ad diem 1. Maii; posterior autem Dissert. de Testamento Rupto ad Reformat. Francof. P. IV. Tit. VII. d. 5. Maii sollemniter & sine Praefide defendet proprio Marte elaboratam.

Quem actum vt praesentia sua condecorare illustrioremque reddere beneuole dignentur MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR, PERILLVSTRIS ET MAGNIFICVS ACADEMIAE PROCANCELLARIVS, ILLVSTRISSIMVS COMES, RELIQVI PROFESSORES AC PROCERES REIPUBLICAE TVM LITTERARIAE TVM CIVILIS OMNIVM ORDINVM CEELEBERRIMI, NEC NON COMMILITONES GENEROSISSIMI AC PRAENOBILISSIMI, meo Iuridicique Ordinis nomine perofficiose atque obseruanter rogo & obtestor.

P. P. In Academia Ludouiciana ad d. XXIX. April.

CIOIOCCCLXXX.





TA-01


30. 1+13

ULB Halle

3

004 803 671







23

1780, 2

12

ORDINIS IVRIDICI DECANVS

CHRISTIANVS HARTMANNVS
SAMVEL GATZERT D.

CANDIDATORVM PRAENOBILISSIMORVM

ANDREAE IOSEPHI SCHNAVBERT
BINGENSIS

ET

IOANNIS FRIDERICI PREGEL
FRANCOVRTANI

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

INDICIT

DE

IVDICIORVM EQVESTRIVM HABITV
ATQVE RATIONE

ERGA AVSTRAEGAS ET SVPREMA IMPERII
TRIBVNALIA

PAVCA PRAEFATVS.



G I E S A E
typis Braunianis
C1919CCLXXX.

